226.

De Ao 1619.

Reverendissimo Domino Davidi Pareo
Sacrosanctæ Theologiæ Doctori ac in
Illustri Academia Archi-Palati-
nali Novi Testamenti Profes-
sori ordinario etc: No-
bis honorando

Reverendissime Domine Pater: Nobis in Christo observandissime!
Quod votis à Deo Opt. Max: optabamus ardentibus, accepto
prius ea de re Vestræ Rever^mæ Dom^nis assensu, suffragioque
paterno, nostrum jam ex fratre germano clarissimum Nepotem
splendidum ac Magnificum Stephanum Bethlen de Iktar
juniorem, in inclytam Academiam Heidelbergensem, una cum
sociis ipsi adjunctis expedivimus. Utinam divina benignitas
et voto nostro, et ipsorum tam immaturæ peregrinationi
clementissime faveat. Caeterum quantum ad externam pro-
tectionem et aulicorum consuetudinem communicationem-
que, sinceritati et amori Serenissimi Principis et Domini
Electoris Archi-Palatini Nos plurimum tribuere, ad suam
Seren^mam Cels^nem perscripsimus, quantum vero ad animi
ingeniique culturam attinet, quæ præcipua tantæ ipsorum
peregrinationis causa est, Vestræ Rever^e Dom^ni curæ et
sollicitudini ita commendatum esse cupimus, ut isthæc
fratrunculi nostri peregrinatio ipsi ac toti familiæ
nostræ Bethlenianæ decori ornamentoque, genti Hungaricæ
ex emolumento publico, omnibus autem Præceptoribus,
ac præcipue Vræ Rev^æ Dom^ni laudi sempiternæ cedat ac
futura sit. Pluribus ut hac de re eidem scribamus, non
est necesse, ne vel in nos candoris vel in officiis pietatis
sedulitati ipsius diffidere videamur. Siquidem nec ver-
bis a nobis exprimi, nec modulo literarum excipi posse asse-
rimus, quantopere hac in re fidem, industriam, et dili-
gentiam Vræ Reverendissimæ Dom^ni experiri cupimus:
Pro certissimo habens, quicquid laboris et diligentiæ in hunc
fratrunculum nostrum expenderit, nunquam in ingratos
aut immemores expendisse animadvertet. Quam Reve^mam
Dom^nem diutissime feliciter valere cupientes. Datum in arce nostra
Varad. die 9. Martii Anno Domini 1619. Reverendissimæ Dominationis vestræ

Filius benevolus Gabriel Bethlen mpp.